



**Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

XII. In judicijs non est Acceptatio personarum habenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](#)

superiorem, vel partibus suggesta, quibus causa ex utriusque coniensu terminetur, ut *Lib. 2. Tit. 27. à n. 55.* est explicatum: casu tamen, quod actor pro intentionis sua probatione vel nihil omnino, vel saltem, quod illam probabilem reddit, afferit, c. fin. de *Dolo*: imo etiam casu, quod an ab ipso & reo deductæ æqualia sunt, dubium manet, secundum Regulam hanc rea potius quam actori favendum: & ille vel absolvendus, vel saltem iuramentum suppleritorum in causis hoc admissentibus reo potius deferendum est quam actori, c. fin. §. *Sane, de Jurejurando* & ad hanc Rubricam dicta à n. 33. Nisi tamen litigantium alter in possessione vel actoris causa favorabilis sit, ut cit. *Tit. 27. n. 55.* adnotavi.

7. Neque hac in re actori patrocinaatur; quod eis favore judicia sint constituta; ut scilicet, quod suum est, recuperet, sibique debitum consequatur: vel; quod, cum libello proposita ejus intentione ambigua, verbaque obscura sunt, ejus & non rei favorem spectans interpretatione præferatur, l. *Si quis 66. ff. de Judiciis.* Facilius enim ad hæc responso est; quia ipsa judiciorum constitutio non magis favorabilis actori, quam reo est, partim; quod huic eâ maximè sit prospektum; ne, si actor res, quas existimat esse suas sibi debitas, auferat propriâ authoritate, rerum suarum iacturam & injuriam facile patiatur: partim; quia non minus benignè reus in judicio auditur, quam actor: &, sicutisti actionis, sic reo exceptionis seu defensionis & verborum suorum declaratio est permissa: & utraque in favorem ejus, à quo proposita & prolata sunt, accipiuntur. Accedit; quod actor magis favorabilis in judiciorum preparatione: non tamen magis quam reus favorabilis sit in decisione, Dynus

bis n. 7. cum, illò intentionem suam non probante, iste, licet nihil præstiterit ac probabit, absolivatur, §. *Sane cit.*

### REGULA XII.

*In Judiciis non est Acceptio personarum habenda.*

### S U M M A R I U M.

1. *Judicij nomen hic sumitur latè.*
2. *Personarum Acceptio nō vitium Justitia adversatur.*
3. *Sensus & declaratio Regule,*
4. *Eiusque ratio.*
5. *Objecta ei instantia.*
6. *Ex speciali ratione viuere carent.*

**J**udiciorum nomen DD. plerique hic latè sumunt; ut sô non solum controversiae, quæ est inter actorem & reum, discussio, definitioque: sed omnis actus intelligatur, in quo juris, meritorum, qualitatibus aut aptitudinis ratio, Commutativa vel distributiva Justitia poscente, est habenda, Dynus bis n. 7. Barbosa n. 3. & Strein. n. 1.

Acceptio personarum, quam ab iis Regula removet, est Vitium, quod id, quod, Justitia poscente, personæ deberunt uni, alteri, non juris, meritorum, aut qualitatis, ipsum præ aliis aptum dignumque facientis: sed propter ejus conditionem vel qualitatem ad id, quod accipit, nihil conferentem, vg. intuita pulchritudinis, cognationis, vel alterius necessitudinis tribuitur, Laiman *Lib. 4. trah. 2. cap. 1. f. n. 6.* Peck. bis n. 2. & Strein. n. 1.

Quare latè patens Regula sensus est, 3. Neque in litium inter partes controversialium judiciali vel arbitriaria definitione, neque

neque in dignitatum, beneficiorum, officiorum ac munerum collatione, neque in bonorum vel onerum communium distributione, neque in aliis alibi, quibus aliquid ad id ius habenti vel bene merito vel certam qualitatem habentes debitum, & ex Commutativa vel Distributiva Justitia tribendum est, id tribui debet aliis, intuitu conditionis vel qualitatis ad id, quod tribuitur, nibil conferens, Dynus bīc n. 7. Ex Justitia, inquam; quia, si id, quod tribuitur, neque ex Commutativa neque ex Distributiva justitia uni pra' aliis debitum esset, ut vg. pecunia eroganda in pauperes, in ejus erogatione, perlonas consanguineas, familiares vel populares aliis praeferendō, peccatum acceptiois personarum non committeretur. Unde, cūm Dominus Deus dona & gratias suas nemini debeat, ea uni præ aliis aut liberalius communicandō, personarum accepto dici non potest, Barbosa bīc n. 4.

4. Ratio Regula est; quia Justitia intendit æqualitatem, Commutativa quidem Arithmeticam, ut vocant, quā aliqui datum restitutum ejus juri perfecte, ut vg. solutio millenorum totidem debito adæquatur: Distributiva autem Geometricam, quā res, dignitas, vel munus publicum, bona vel onera communia civitatis personarum meritis, qualitatibus, idoneitate aut facultatibus ita respondunt; ut his inter se comparatis ea, quæ meritis, qualitatibus vel idoneitate alteram superat, vel ampliores habet facultates, tanto honoratus munus, vel de bonis communibus plus consequatur, vel ad publicam necessitatem sublevandam plus contribuat, quantum alios meritis, qualitatibus, idoneitate aut facultatibus excedit, S. Thomas 2. 2. q. 61. art. 2. & 3. & Laiman Lib. 3. tratt. 1. cap. 4. n. 2. Quarum æqualitatum alteram cūm personarum acceptio lœdat, Justitiam Commutativam

vel Distributivam corrupit, S. Thomas q. cit. art. 4. & Vivians in hac Reg.

Non caret tamen etiam hæc Regula difficultate; cum ea enim aperte pugnat Primi can. Clerico 37. dis. 50. & c. Nisi speciali 3. de Offic. legat. quō locō utrōque Papa ex speciali affectione sua in personas, delicti penam remisit. Secundū; quod ex iisdem facinoribus aliter servi quam liberi puniantur, l. Ausfella 16. §. 4. ff. de Panis: in maritum & uxorem adulterii reos, licet eorum delicta gravitate inæqualia sint, penas æquales sint constitutæ, can. Indignantur 32. q. 6. & æqualia inæqualibus penas vindicentur: imò delinquentium æqualium unō puniō alter absolvatur, arg. l. Ad bestias 31. ff. de Panis. Tertio; quod ex legis dispositione pupillus mitiū habeatur, quam major, quocum sine tutoris autoritate contraxit; cūm major pupillo, non vicissim hic illi obligetur, l. Julianus 13. §. 29. ff. de Att. empti. Quæ omnia cūm perlonarum sapienti acceptioem, hūc quoque locus in judiciis erit.

Sed non recedendum à Regula, quam deducta non tam convellunt quam declarant. Primum; quia can. &c. cit. procedunt in solo Principe supremo; hic enim cūm legibus suis superior sit, penas vis constitutas laudabiliter aliquando mitigat vel remittit; cūm nulla virtus sit, quæ Principem magis quam Clementia commandet. Secundū; loco allegata; quia aliquando diversa similis & gravitate dissimilis criminis reis eadem pena Jure constituta est ex gravibus justisque & fere publica utilitatis causis, quas latè discussas dedit Tiraquell. de Panis temp. causa 7. 8. & 9. Postrema; quia pupillis non idem Jus, quod aetate majoribus, lege statuendi justissima æquitatis & miserationis ratio poscebat; quod propter aetatis imbecillitatem, infirmitatem judicii, &

Cccc; aliquan-

ali quando defectum discretionis obnoxii  
sunt deceptionibus, damnisque; atque id-  
circo adversus hominum calliditatem &  
circumventiones speciali Juris favore mu-  
niendi viderentur, l. i. pr. ff. de Mino-  
ribus.

## REGVLÆ XIII.

*Ignorantia Facti, non Juris ex-  
cusat.*

## SUMMARIUM.

1. Ignorantia differt ab errore.
2. Alia Facti est alia Juris:
3. Alia Probabilita seu Invincibilis, alia  
Vincibilis:
4. Et hac plerumque Crassa, & aliquan-  
do Afflata est.
5. Crassa & Afflata non excusat:
6. Sed probabilitas, si sit facti alieni:
7. Nisi hoc scrii debuerit & facile po-  
tuerit.
8. Objecta difficultates tolluntur,
9. Juris ignorantia non excusat:
10. Nisi jus sit dubium aut persona pri-  
vilegiata:
11. Vel de incurrenda censura,
12. Aut de damno vitando agatur.
13. Juris peritis confundendi sunt, ut non  
obfit ejus ignorantia:
14. Que frequenter nocet etiam in de-  
libris.

¶. **I**gnorantiam JCT. aliqui cum Erro-  
re, sed perperam confundunt; cum  
iste in judicio intellectus falso:  
ignorantia in privatione seu caren-  
tia alicujus notitiae vel scientiae constat,  
S. Thomas in 4. disp. 30. art. 1.

Est autem ignorantia alia Facti, alia  
Juris, Rubr. & l. i. ff. de J. & F. J. qua-

rum ista datur, cum quis caret scientia Je-  
gis, vel canonis aut consuetudinis le-  
gitimè prescriptæ, vg. contractum, quod  
ultra fortem creditam vi mutui solius ali-  
quid exigitur, esse usurarium, rei Eccle-  
sie immobili alienationem non solennem  
invalidam, clerici percusione excommu-  
nicationem reservatam incurri: illa vero  
seu Facti ignorantia, cum quis nescit, ali-  
quid actum vel omisum, aut hoc illöve  
modò peccatum, vg. vi solius mutui ali-  
quid ultra fortem exactum, in alienatio-  
ne solemnites non intervenisse, eum esse  
clericum, qui fuit percusus. Posterior  
hæc ignorantia aliquando est facti pro-  
prii, vg. ante 30. annos predium à se ven-  
ditum: aliquando & plerumque alieni,  
vg. predium venditum à Titio, vel cleri-  
cum ab eo percussum.

Utra que hæc Juris & Facti ignoran-  
tia aut Invincibilis est aut Vincibilis: in cu-  
jus partitionis explicatione multum vari-  
ant DD. ex quibus aliqui, nec male, ad-  
vertunt eius membra non eodem modò  
sumi in utroque foro. In externo enim,  
in quo scire quilibet presumitur id, quod  
ejus status & conditio non requirit, invinci-  
bilem sive probabilem & justam ignoran-  
tiam habere, is solummodo conferetur, qui  
nescit id, quod ejus status & conditio non  
requirit: contrà id, quod ejus status &  
conditio requirit, nesciens, vincibilem si-  
ven non probabilem aut justam ignoran-  
tiam habere, ex præsumptione illa judica-  
tur. In interno autem sive Conscientiæ  
foro invincibilis & inculpabilis ignoran-  
tia est, cum quis ignorat id, quod scire  
hic & nunc non potest, vel; quia non inci-  
dit per ullam cogitationem aut suspicio-  
nem, quā ad indagationem moveri potu-  
isset: vel; quia, licet incidet, non tamen  
habet vel habere potest, à quo rei verita-  
tem edoceatur. Vincibilem autem &  
culpabilem dicunt, quā quis ignorat id,  
quod